



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Agenda Ecclesiae Paderbornensis**

**Dietrich <Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1602**

Contra maleficium oratio Ecclesiae.

**urn:nbn:de:gbv:23-drucke/s-483a-2f-helmst3**

*Verf.* Manda Deus virtuti tuæ. (nobis.

*Resp.* Cōfirma hoc Deus quod operatus es in

*Verf.* Saluum fac seruum tuū & ancillā tuam.

*Resp.* Deus meus sperantes in te.

*Verf.* Mitte eis auxilium de sancto.

*Resp.* Et de Sion tuere eos.

*Verf.* Domine exaudi orationem meam.

*Resp.* Et clamor meus ad te veniat.

O R E M V S.

**P**Rætende quęsumus Domine fidelibus tuis dextram cęlestis auxiliij, vt te toto corde perquirant, & quę dignè postulant, assequantur. Per Christum Dominum nostrum.

Tunc aspergantur aqua benedicta, & vir osculetur medium altaris & postea mulier, & recedant.

**CONTRA MALEFICIVM ORATIO Ecclesię.**

Quoniam aliquando contingit; Deo hominum vindicte siue infidelitatem siue libidinem, vt vir & mulier maleficio impediti, opus matrimonij ad implere nequeant; ex Sacerdotali Romano pro ipsorum liberatione sequentem orationem libuit ascribere, qua, qui volet, vti poterit. Qui ergo se ita impeditos sentiunt, facto prius diligenti peccatorum examine, ad sacerdotem veniant, qui super pelliceo indutus & stola illos audiat, & absoluat, deinde celebrata missa de spiritu sancto pro illis precetur, hoc modo:

S

Adiu-

**A**diutorium nostrū in nomine Domini.  
Qui fecit cælum & terram.

**Verf.** Saluum fac seruum tuum & ancillā tuam

**Resp.** Deus meus sperantes in te.

**Verf.** Mitte eis Domine auxilium de sancto.

**Resp.** Et de Sion tuere eos.

**Verf.** Nihil proficiat inimicus in eis.

**Resp.** Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.

**Verf.** Esto eis Domine turris fortitudinis.

**Resp.** A facie inimici.

**Verf.** Domine exaudi orationem meam.

**Resp.** Et clamor meus ad te veniat.

**Verf.** Dominus vobiscum.

**Resp.** Et cum Spiritu tuo.

**D R E M V S.**

**D**omine Iesu Christe filij Dei & B. Virginis Marię vnigenite, qui in paradiso terrestri matrimonium instituisti in officium, & post modum pro nobis homo factus etiam in Sacramentum erexisti, ipsum tua præsencia ac miraculorum tuorum primitijs dignanter illustrans: tu per merita & preces ipsius beatissimę virginis Marię, beati Vincenrij confessoris tui, *exprimendo nomen Patroni loci*, & omnium Sanctorum & Sanctarum tuarum digneris hunc famulum tuum, & hanc famulā

tuam

tuam, quos sacro matrimonio coniunxisti bene ✠ dicere, ac plenè liberare ab omni ligamento, fascino, & maleficio fatane, & dare eis foecunditatem & gratiam, qua liberè uti possint matrimonio suo ad generandum, concipiendum, gestandum, pariendū, & fouendum prolem gratam Deo & hominibus, in nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ sancti, Amen.

*Subiungatur.*

**I**esus Mariæ filius, mundi salus, & Dominus sit vobis clemens & propitius, Amen.

*Deinde tres Psalmi sequentes.*

**Domine** quid multiplicati sunt.

**Beati** qui habitant in adiutorio altissimi.

**Beati** omnes, qui timent Dominum. **Cum**

**Gloria** patri, &c.

*Post vltimum subiungantur preces sequentes.*

**Kyrie eleison.** **Christe** eleison. **Kyrie** eleison. **Pater** noster. **Aue** Maria.

**Et** ne nos inducas in tentationem.

**Sed** libera nos à malo.

**Verf.** Saluum fac seruum tuū & ancillā tuam.

**Resp.** Deus meus sperantes in te.

**Verf.** Mitte eis auxilium de sancto.

**Resp.** Et de Sion tuere eos.

**Verf.** Nihil proficiat inimicus in eis.

**Resp.** Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.

**Verf.** Esto eis Domine turris fortitudinis.

**Resp.** A facie inimici.

**Verf.** Domine exaudi orationem meam.

**Resp.** Et clamor meus ad te veniat.

**Verf.** Dominus vobiscum.

**Resp.** Et cum Spiritu tuo.

## O R E M V S.

**D**omine Iesu Christe fili Dei qui vterum B. Mariæ Virginis mirabiliter foecundasti, vt de spiritu sancto conciperet, portaret, pareret ac nutriret te Deum verum & hominem saluatorem nostrum, imploramus clementiam tuam, vt his famulis tuis sublato omni dæmonis impedimento & maleficio, foecunditatem donare digneris, vt generare, concipere, portare, parere ac nutrire prolem tibi valeant in vitam æternam, In nomine Patris, ✠ & Filij, & Spiritus sancti Amen.

*Deinde subditur versus sequens.*

**B**eatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiae non sedit.

*Sed*

Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Et tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum; quod fructum dabit in tempore suo.

Et folium eius non defluet, & omnia quaecumque faciet, prosperabuntur.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio & nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

*Tunc Sacerdos manum imponens super caput viri primum, deinde mulieris, dicat retinens manum super caput mulieris:*

**I**ESVS Mariae filius, mundi salus & Dominus, qui beatissimae virgini Mariae matri suae felicem partum tribuit: ipse tibi concedat ut possis in utero portare fouere, parere, & feliciter nutrire prolem Deo & hominibus gratam: In nomine Patris, ✠ & Filij, & Spiritus sancti.

*Deinde aspergat eos aqua benedicta.*

